



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptura, Et Vera Catholica
Doctrina, Atque Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De secunda oblatione, Gratiarum actionis & Orationis 89

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

De secunda oblatione, qua est Gratiarum actionis
& orationis.

CAP. LXX XIX.



QVOD apud S. Cœnam Deo Patri nostro cœlesti per Dominum nostrum Iesum Christum pro omnibus hominibus & pro omnibus beneficiis suis, gratias agi, ac vicissim omnibus omnia bona à Deo per Christum Dominum nostrum orari debeant, de eo nulla est inter ecclesias Christi & earum Aduersarios controuersia: quemadmodum nec de eo quod ista secundam scripturam grata sint & accepta Deo sacrificia.

Cæterum de duabus rebus controuertitur in hoc articulo: quarum prima est, Quod aduersarij periculosum perniciosumque errorem & abusum hac in parte apud rudes & simplices homines fouent, nempe quod omnem gratiarum actionem & orationem contra mandatū Domini, & priscaurum Ecclesiarum consuetudinem in peregrina populōque ignota lingua perficiunt, ita vt nihil quicquam utilitatis ad præsentem inde deuenire queat: quos tamen, quotiescūque gratias agant præcelsaque fundant, hortantur, dicentes, (verum in aliena lingua) *Domine vobiscum, Sursum corda, F'clamus genua, Oremus.* Ad quæ populus respondere debebat. *Et cum Spiritu tuo: Sursum habemus corda ad Dominum. De è dignum & iustum est, aquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere Domine,* &c. Item ad preces finitas respondere *Amen:* vt omnis oratio & gratiarum actio apud S. Cœnam, quemadmodū D. Chrysostomus ex Apostolo rectè docet, ex communi fide, spiritu & attentione procederent. Quæ peruersio huius sanctissimæ actionis impium ludibrium & blasphemus contemptus est tam Dei quàm fidelis populi. Perpendat hoc apud se quilibet Christianus. Si potens quispiam Rex vel alius Dominus Commissariis vel officariis suis iniungeret, vt aliquod serium maximique momenti mandatum subditis suis optimè, clarissimè, & summo cum affectu promulgarent: quò populus mandatum istud & auida mente recipere, & suffragio suo confirmare posset: denique etiam operam daret, vt diligens eius executio fieret. Officiarij verò isti ad subditos quidem Domini sui accederent, idque summa cum pompa & solennitate, ornati honoris & officij sui insignibus ac vestimentis, qualia regio Commissarios ac legatos decet: celsiora etiam loca, & huic negotio accommodata conscenderent, conuenterent se ad populum, & inciperent eos ad attentionem hortari, postmodum Regium mandatum summa cum celebritate & pompa promulgarent, verū tali lingua, quæ populo penitus esset incognita, adeò vt respondere non posset, sed audiret tantummodo verba non intellecta: spectaretque istorum hominum splendorem & ornatum externum ac gestus. In populi autem locū Officiarij isti alios quosdā substituerent, qui ipsius nomine ad interrogata responderēt, idque sine intellectu subditorū. Quis iam nō

dicat, Legatos isto scurrile ludibrium exercuisse, & Domini sui maiestatem grauissimè læsisse, in eo quod omnia tā peruersè executi fuissent?

Iam verò potentior Dominus non est, quàm Dominus noster Iesus Christus: neque vllus alius est, qui ministris suis grauiora magisque salutaria mandata populo suo promulganda & patefacienda committat, quàm seruator noster Christus ministris Ecclesiæ in populo suo apud S. hanc actionem commiserit expedienda.

Ad hæc requirit, vt ea populo quàm clarissimè ac religiosissimè proponantur, ab ipso verò summa cum humilitate ac submissione sui ipsius recipiantur, denique in opus quam fidelissimè ac plenisimè producantur. Quid igitur aliud esse potest, quàm horrenda blasphemia & grauissima celsissimæ maiestatis Christi oblatio, impius denique dignitatis Ecclesiæ eius contemptus, quod missatores tanto apparatu ac pompa ad altaria in conspectu populi se sistant, ad eum se conuertunt, plura alloquuntur, & clara voce acclamant, eum omnia diligenter audire, perpendere, simul gratias agere & precari iubent: omnia autem ista faciunt aliena & non intellecta lingua, quam populus percipere non potest? O horrendam indignationem ac furorem Dei, qui super vniuersum populum per hanc grauissimam contumeliam Christi atque offensionem Ecclesiæ prouocatur & accenditur! Verè igitur Ecclesiæ Christi, & fideles earum ministri contra eiusmodi sacrilegos & blasphemos missatores vero & ardente zelo, propter abominandum hunc abusum, continuo depugnant.

Altera controuersia, quæ est, inter Ecclesias Christi, & legitimos earum ministros in hoc articulo, est, propter grauem & perniciosum errorem quem rudi ac simplici populo confirmant, dum maximo verborum splendore & lenocinio tradunt, Sacerdotem sacrificium orationis & gratiarum actionis pro omnibus hominibus offerre. Non enim declarant, quod id nihil amplius sit quàm Deum & suo & præsentium nomine orare, vt eis misericors esse, suamque benedictionem largiri dignetur: item gratias Deo agere pro omnibus beneficiis, quæ in genus humanum confert. Quodque præsentibus omnes vnà cum ministro precari & gratias agere debeant (minister enim in ea actione non tantum propter se, sed omnes presentes ibi loquitur) idque summa cum religione ac deuotione mentis, animo contrito ac humiliato spiritu. Sed homines in falsa persuasionem relinquunt, magisque in ea confirmant, perinde ac si ista sacerdotis actio, (qua gratias agit, ac preces fundit, quam tamen non intelligunt, atque idcirco mentes suas eò dirigere & intendere non possunt; quin sacerdos quoque ipse non raro sine mente & spiritu peragit.) sit eis apud Deum profutura, etiamsi ipsi per se Deum nec orent, nec illi gratias agant. Quod autem plerique homines isto errore implicati & irretiti sint, nimis, proh dolor, manifestè declarat ardens studium in petendis & redimendis orationibus missarum: nec non profligata temeritas & impudens audacia in manifestis peccatis & fla-

& flagitiis perseverandi, vitamque Deo è diametro contrariam transgendi, in qua nihilominus perpetuò perdurant. Maximo perè igitur necessarium est Ecclesiis Christi, & fidelibus eorum ministris, vt istum errorem perpetuo redarguant & oppugnent.

Pro quibus in S. Cœna preces & gratiarum actiones fieri debeant: ac primum de viuentibus.

CAP. XC.



QUOD in officio S. Cœnæ pro omnibus hominibus orandum sit, fidelibus & infidelibus, amicis & hostibus: & tamen ordine seruato, vt pro domesticis fidei, & pro ordinariis magistratibus principaliter supplicationes fiât, de hoc nulla cõtrouersia est, in verbis scilicet. Verbis enim fatentur Aduersarij id faciendum esse, verum in Libro ordinatum est, vt rectè videlicet in spiritu & veritate etiam perficiatur. De hoc solo controuertitur, quomodo & ratione id fieri, quorumque nomina ibi numerari & exprimi debeant. Nam liber Reformationis iuxta doctrinam & exemplum Domini nostri Iesu Christi, & Apostolorum eius, veterisque Ecclesiæ consuetudinem ordinauit, vt Oratio ista & gratiarum actio tanquam cõmunis totius populi, qui præsens adest, in communi lingua & clara voce ad intellectum præsentium peragatur. Eam verò Aduersarij in peregrina lingua, vocèque tam pressa ac submissa seruant, vt interdum vix semetipsos exaudire queant, taceo quod populus aliquid percipiat & intelligat: id quod, vt iam antea demonstratum est, cum instituto & expresso mandato Domini, omniumque priscarum Ecclesiarum consuetudine & exemplo directè pugnat.

Secundò, Solebant olim veteres in S. Officio nomina Episcoporum & presbyterorum, eorumque qui oblationem suam ad S. Cœnam attulerant, aliorum denique, si eius aliqua rationabilis causa suberat, peculiariter & expressè recitare: quod D. Cyprianus appellat, Offerre nomina: Vide Epist. 14. lib. 3. de nominibus Presbyterorum quæ olim coram populo nominabantur, vide Epistolam 137. Augustini de Bonifacio Presbytero. De nominibus eorum qui oblationem suam attulerunt, cap. 2. in Epistola Innocentij primi ad Decentium Episcopum Lugubinum, De reliquis in citato loco Cypriani.

Iam verò hæc nominum recitatio necessaria non est, quare nec in Liturgia Dionysij, vlla eius mentio habetur. Quoniam igitur Aduersarij penitus eam interciderere permiserunt, publicam nempe recitationem nominum coram vniuersa multitudine: neque adhuc istis præsertim temporibus constet, quomodo ad ædificationem aliquid constare possit, idcirco, vt quæ alioqui necessaria non sit, est prætermissa.

Postremò accusant Aduersarij Librum propterea quod expref-